

289657

eca  
Sibiu

72  
TA-529



~~Ad simplicem usum~~  
~~Ranisci~~

Ad simplicem usum fra,  
= No. 1. Kierschae

~~52~~

Th

1984

1998

# FASCICULUS

BENEDICTIONUM,

Exorcismorum, & validissimarum Conjunctionum ad efugandas aëreas tempestates.

*Ex approbatis Libris à S. R. E.*

*Collectus.*

Litaniæ quoque, & duodecim Evangelia cum suis orationibus pro benedicendis agris, & fructibus terræ.

*Præterea Benedictiones super Cruces, quæ in trivii collocantur, ac contra vermes, locustas, & alia animalia fruges vastantia &c.*



*Reimpressum*



IN TYPOGRAPHIA CSIK SOMLYOVIENSI.

OS (\*\*\*\*\*\*) SO  
Annô Domini M. DCC. XLIX.

*Superiorum Permissu.*

351900 243

289657

BIBLIOTECA „ASTRA”  
SIBIU



*Reverendi, ac Religiosi*

Hujus Provinciæ, Strictio-  
ris Observantiæ

PATRES IN CHRISTO

Dilectissimi.

**M**oses Legislatoꝝ Inclutus, duodecim  
Tribubus Israëꝝ benedicturus, pe-  
culiari hæc benedictione Tribum Joseph pro-  
sequitur. De benedictione Domini  
terra ejus. De Pomis Coeli --- De Po-  
mis fructuum solis, & lunæ, & de Po-  
mis Collum æternorum --- Deut. 33.  
v. 13. Tria hæc Poma Benedictionum, è  
Viridario Ecclesia unum in Fasciculum stu-  
dio-

diſſimè congeſta, ego pariter Tribui Sera-  
phico de ſtrictiore obſervantia; Vobis in-  
quam Provinciæ huius Tranſylvaniciæ in Vi-  
nea Domini Coadjutoribus, & in partem  
ſolicitudinis vocatis Operariis, ex paupere  
Gaza Typographiæ Noſtræ Cſikienſis elargior  
PATRES in Chriſto Reverendi, quæ  
non quidem ut Protoplâſtis noſtri Malum,  
nec ut Endociæ Pomum, utrumque autem  
perniciſſimum ſuſpicamini: neque ut He-  
ſperidumpoma alioqui toto Orbe Celeberrima  
ſuſpicite; Quin potiùs ea, quæ Sponſa  
cæleſtis Dilecto ſuo ſervâſſe legitur. Cant. 7.  
v. 13. Poma --- Nova, & Vetera. Et  
nempe unum horum, quod eſt de Pomis  
Cœli contra poteſtates aëreas exorcismorum  
medullam in ſe continens: aliud verò, quod  
eſt de Pomis fructuum Solis, non Poma-  
na tantum, ſed & Cereri in Benedictionibus  
deſerviens: tertium, quod eſt de Pomis  
Collium æternorum, adverſus Locuſta-  
rum, aliorumque animalium, vaſtatem  
terræ fructibus afferentium morſus, præ-  
ſentaneum exhibens antidotum velim, ſu-  
ſcipite. Hunc igitur Pomorum delectum,  
hos Benedictionum Fasciculos PATRES in  
Chriſto Reverendi pro Veſtra in Benefa-  
ctores Veſtros grati animi conteſtatione:  
pro-



*proque tuendis eorum bonis terrestribus  
(quibus ex illorum benignitate fruimini)  
è Paterni amoris sinu Vobis depromens ef-  
ficaciter recomendo: quatenus contra ma-  
lignantium spirituum, & aëris insultus, ac  
quasvis nocivas terræ fructibus creaturas,  
vigiles, & strenui estote vindices; Quoad-  
usque grati in Deum, inque Beneficos Opi-  
tutores Vestros jugiter perseverando, ube-  
res fructuum Cælestium manipulos, ac me-  
ritorum Fasciculos, Pleni Benedictionum  
Domini cum exultatione reportare va-  
leatis. Quod dum pro Vobis, & de Vo-  
bis cordicitus exopto, superum Providentiæ  
Vos committo.*

VESTRI

*Studiofissimus in Xto Servus*

Fr. MATTHÆUS SŪKŌSD  
Minister Proālis.



# FLORES,

*Ex quibus præsens Fasciculus  
compositus est, collecti sunt.*

Sacerdotali Romano.

Rituali Romano.

Rituali Veronæ.

Rituali Brixixæ.

Rituali Vincentiæ.

In Complemento Artis Exorci-  
sticæ.

Practica Exorcistarum.

Flagello Dæmonum.

Fustibus Dæmonum.

Breviario Veteri.

Anthidotario Animæ.





**S**acerdos cum primum viderit tempus tempestuosum elevari, campanas pulsari faciat, ipse accedens ad primum gradum altaris, genibus flexis submissa voce dicat:

Confiteor Deo omnipotenti, &c.

Misereatur nostri omnipotens Deus, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

O R E M U S.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis, præ cæteris tantam gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine dignè perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur: Quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo benedicturus sum, † benedicas, & ad ea, quæ acturus sum, dexteram tuæ pietatis extendas, & meritis B. Mariæ semper Virginis, & Sanctorum tuorum sit fuga tempestatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Si non aderit aqua benedicta, poterit eam, simul cum sale benedicere in hunc modum.*

† In nomine Domini nostri Jesu Christi.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit Cælum, & terram.

*Exorcismus salis, & aquæ.*

**E**xorcizo te creatura salis, & aquæ, in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, Filij Dei vivi, ut sis purgatio, & purificatio

tiō in his locis, in quibus aspersa fueris, ad ef-  
 fugandos immundos, & erraticos spiritus,  
 omnēmque nefariam vim Diaboli pellendam,  
 & omnes figuras, & minas phantasmatis Sata-  
 næ exterminandas, & fulgura, & sydera, quæ  
 mitti videntur in domos, arbores, agros,  
 possessiones, turres, vel quamcumque habi-  
 tationem. Non hominibus, aut pecoribus,  
 aut frugibus noceant, sed abscedant, & fu-  
 giant per invocationem nominis Domini no-  
 stri Jesu Christi, qui venturus est judicare vi-  
 vos, & mortuos, & sæculum per ignem. Añ.

---

Per Signum Cru + cis de inimicis nostris li-  
 bera nos Deus noster.

Ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit Cœlum, & terram.

Ÿ. Ostende nobis Dñe misericordiam tuam.

℞. Et salutare tuum da nobis.

Ÿ. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℞. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

Ÿ. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere  
 nobis.

Ÿ. Fiat misericordia tua Domine super nos.

℞. Quemadmodum speravimus in te.

Ÿ. Salvum fac populum tuum Domine.

℞. Et benedic hæreditati tuæ.

Ÿ. Vox Domini super aquas multas.

℞. Deus majestatis intonuit.

Ÿ. Viderunt te aquæ, Deus.

℞. Viderunt te aquæ, & timuerunt.

Ÿ. Quid est tibi mare, quodd fugisti?

℞. Et



R. Et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

V. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.

R. Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

## O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiternae Deus parce metuentibus, & propitiare supplicantibus, ut post noxios ignes nubium, & vim procellarum; in misericordiam transeat laudis, comminatio tempestatis. Per Christum Dominum nostrum.

## O R E M U S.

**R**ex æterni Imperii omnipotens Deus, qui das escam omni carni; qui operis cœlum nubibus, & paras terræ pluviam; qui mandas nubibus desuper, & januas cœli aperis; qui transfers austrum de cœlo, & inducis in virtute tua africum; qui rigas montes de superioribus, & de fructu operum tuorum fiat terra: qui Angelo præcepisti, ne terræ, mari, neque arboribus noceret: parce Domine metuentibus, propitiare supplicantibus, te enim Domine suplices exoramus, ut procul abscedat incurio turbinum, calamitas tempestatum, fragor grandinum, percussio fulminum, & quælibet insidia inimici, temperentur in festa tonitrua, & noxiæ pluvie, ventorum flamina fiant moderatè suspensa,

omnis quoque spiritus procellarum, & aëreæ potestates, dextera tuæ prosterantur virtutis. Descendat quæsumus Domine desuper Spiritus Sanctus, & sicut Samueli cornigero agnum in holocaustum tuum maectanti fragor aurarum, turbinum repulit adversantem, ita fugatis omnibus contrariæ potestatis virtutibus, fruges, mentes, & corpora fidelium manus servet Angelica protectione superna, & post sopitos nubium impetus, in laudis, & devotionis, ac Spiritualis amoris augmentum, transeat comminatio tempestatu. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

*Pater noster. Ave Maria. Credo.*

Domiaus vobiscum.

O R E M U S.

**D**omine Jesu Christe, qui fecisti Cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, quique flumini Jordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, & tuas Sanctissimas manus, & brachia Sacratissima in cruce extendisti, quibus aërem sanctificasti: obsecramus immensam pietatis, & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus digneris has nubes, quas ante me, & post me, & supra, & à dextris, & à sinistris, video aërem perturbare, dissolvere, & annihilare digneris, ut alligata potestas demonum in ipsis deseviens, deficiat, & turbetur ad laudem tui Sanctissimi Nominis, & omnipotentissimæ majestatis tuæ. Qui vis, & regnas, &c.

O R E M U S.

**D**omine Jesu Christe, qui Cœlum, & terram



ram creasti: aquas Jordanis benedixisti, in quibus baptizari voluisti, manus in cruce extendisti, & totum mundum redemisti, be + nedicere digneris hanc nubem, quam video ante me positam, ut ibi nulla potestas dæmonum in seipso præueniens nocere possit.

Bene + dicat te Deus Pater: Bene + dicat te Deus Filius, Bene + dicat te Deus Spiritus Sanctus. Divi + dat te Deus Pater. Divi + dat te Deus Filius. Divi + dat te Deus Spiritus Sanctus: De + struat te Deus Pater, De + struat te Deus Filius, De + struat te Deus Spiritus Sanctus. Anni + hilet te Deus Pater, Anni + hilet te Deus Filius, Anni + hilet te Deus Spiritus Sanctus. Amen. In nomine Patris, & Filii, &c.

Christus + vincit, Christus + regnat, Christus + imperat vobis nubes, & tempestates, ut dissolvamini sine alicujus hominis, vel animalis, aut fructus terræ, arboris, loci, vel domus damno, vel læsione. Circumdet te nubes Deus + Pater, Circumdet te Deus + Filius, Circumdet te Deus + Spiritus Sanctus. Destru + at te Deus Pater, Destru + at te Deus Filius, Destru + at te Deus Spiritus Sanctus. Amen.

*Adjuratio.*

SANCTUS Matthæus + Sanctus Marcus + Sanctus Lucas + Sanctus Joannes + Evangelistæ, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgaverunt, ipsi suis meritis, & precibus, hanc tempestatem ab omnibus Christianorum finibus, ab eodem Domino nostro Jesu Christo obtineant effugari, & depelli. Et ego peccator, & Christi Sacerdos, licet indignus

auctoritate, & virtute ejusdem Dei, & Domini nostri Jesu Christi summi Imperatoris, non mea potentia innixus, & confisus vobis præcipio immundissimi spiritus, qui has nebulas concitatis, in virtute ejusdem Dei, & Domini nostri Jesu Christi: & per tremendum ejus judicium, & per Sanctissimam Crucem + suam, quam contra vos facio, & per merita intemeratæ, sempérque Virginis Beatissimæ Mariæ Dei Genitricis, & per merita omnium Sanctorum: ut exeatis ab eis, & eas dispergatis in locis Sylvestribus, quatenus nocere non possint homini, vel jumento, aut volucris, fructibus, aut quibuscunque rebus humano usui deputatis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen. + Ipse vobis imperat Dæmones, qui has nubes commovetis, qui de nube lucida dixit: + Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. + Ipse vobis imperat, qui principem vestrum devicit & ligavit + ipse vobis imperat, qui sua Sacratissima Cruce, & Corporis sui Sanctissimi, in ea extensione aërem purgavit + ipse vobis imperat, qui Infernò spoliato resurgens à mortuis post quadraginta dies à nube susceptus ascendit in Cælum, + ipse vobis imperat, qui vos æternæ gehennæ mancipavit ignibus. Qui venturus est judicare vivos, &c.

*Postea ostendat Crucem in aëre à quatuor lateribus, dicens:*

Ecce signum + Sanctissimæ Crucis: fugite partes adversæ; vicit enim vos & mundum

Do-

Dominus noster Jesus † Christus Filius Dei, summus Imperator, qui est Leo de tribu Juda, radix David.

*Postea aspergat aquam benedictam in modum Crucis per quatuor latera dicens:*

Benedictio Dei Omnipotentis Pa† tris, & Fi† lii & Spi† ritus Sancti, descendat super has nubes, & omnem vim inimici ab eis repellere dignetur. Amen.

*Si adhuc perseveraverit tempus tempestuosum, poterunt dici Litanie, ut inferius.*

*Exorcismus contra Tempestates habitus in complemento Artis Exorcisticae.*

Deus † in adjutorium meum intende. Domine † ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, &c.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

**O**Mnipotens æternæ DEUS, qui dividis aquas ab aquis, qui fontes abyssi rumpis, & cataractas Cœli aperis, qui pluvias, & tempestates, & tonitrua, & fulgura cadere propter peccata nostra permittis, fontesque claudis, & cataractas Cœli cohibes, tempestates, & nubes, cunctaque nobis adversantia destruis. Subveni quæsumus nobis filiis tuis, & parce in remigando laborantibus, pauperesque in necessitate clamantes, respice: Da nobis Domine, da nobis panem, ne fame pereamus: Exaudi, & præsta, ut in verbo tuo, & misericordia, rabies, & persecutio Dæmonum ad-

versantium destruat. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

*Mox extensis manibus contra nubes, dicat :*

**E**Xorcizo ⁊ vos nubes. Conjuro ⁊ & vobis præcipio ⁊ per eum, qui populum Israël præcedebat ad ostendendam viam, per diem in columna nubis : per eum, cujus gloria sæpè apparuit in nubibus, montemque Synai sex diebus nube texit, & Tabernaculum testimonii opertum nube, impletum est gloria ejus ; per eum, qui in vos posuit arcum fœderis sui, & de vobis exivit vox ejus, dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : Suscepisti que Jesum ab oculis Apostolorum, ascendentem ad Cœlum : qui & in vos veniet ad judicandum, & rapientur in vobis nubibus Cœli obviam Christo beati. ERGO per eum, qui hæc, & alia mirabilia valdè operatus est in vobis, præcipio, & conjuro ; ut nequaquam tempestates ad nocumentum nostrum paratas retineatis, sed in virtute Sanctæ ⁊ Crucis, quam contra vos facio, repente à nobis, & à tota regione Christianorum auferatis, sinè læsione alicujus hominis, neque terræ, neque loci, neque navis, & in nomine Creatoris & Redemptoris nostri nunc, nunc in omni vi, & impetu vestro eas auferte, & præcipitate in saxosis montibus, in cavernis, & in locis aridis, & desertis, & in Abyssis, in quibus non aratur, nec seminatur, nec quippiam colligitur ; nec nomen Jesu Christi invocatur, nec nominatur, ut Dæmones rabies maledictas ibidem spumantes, eos intendant  
ful-



fulgura de Cœlo; imò in virtute ejusdem Omnipotentis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, impero vobis, ut fugientes relinquatis nobis imbrem, & aquam benedictam, & Sanctam, ad irrigandos agros, & nemora, & viridaria, & vineas, & sylvas, & prata, & oliveta nostra, ut habeant pauperes, panem, vinum, & oleum, omniumque generum fructus in abundantia, & saturitate. Benedicat ergo vos nubes Deus † Pater, Benedicat † vos Filius, Benedicat † vos Spiritus Sanctus. Circumdet vos Deus † Pater, circumdet vos † Filius, circumdet vos † Spiritus Sanctus. Ante vos sit Deus Pater † ante vos sit Filius † ante vos sit † Spiritus Sanctus. Post vos sit Deus † Pater, post vos sit Filius † post vos sit † Spiritus Sanctus. Sanctificet tandem vos Deus † Pater, sanctificet vos † Filius, sanctificet vos † Spiritus Sanctus. Amen.

*Conjuratio Aëris.*

**E**Xorcizo † te aër, conjuro † & præcipio † per eum, per quem purificatus extitisti, dum in forma columbæ super Jesum Christum descenderet; & dum ipsemet Jesus Christus in aëra super lignum † Crucis levaretur, per eum, per quem sanctificatus fuisti; dum comitantibus Angelorum exercitibus, & Beatorum ad Cœlos ascenderet, & per eos, per quos in te multoties apparenter pretiosa Domini nuntiaverunt. ERGO per eum, &c. ut suprâ.

*Conjuratio Ventorum.*

**E**Xorcizo † vos Venti favorabiles, conjuro † & præcipio † per eum, qui producit  
ven-

ventum de thesauris suis ; per eum , qui locustas per te levavit in Ægypto : per eum , qui flante vento vehementi , & urente tota nocte , vertit mare in siccum , per eum , qui fecit quasi ventum roris flantem in medio fornacis , & liberavit Azariam , & socios ; per eum , cui obediunt mare , & venti , per eum , qui cum ascendisset in naviculam ; cessavit ventus contrarius , & facta est tranquillitas magna. ERGO per eum , &c. ut supra.

*Conjuratio contra Demones, & tempestates.*

**O** Angeli Tartarei, qui in hoc caliginoso aëre habitatis, detrusi, ubi repercussio radiorum solis pertingere non potest: Sed in continua obscuritate pœnantes, tonitrua, grandines, nives, fulgura, pruina, & tempestates diversas movetis. In nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti, vos conjuro, † fugo, & præcipio, Ut RABIES vestras maledictas, & tempestates, has, sive per maleficiorum incantationes sint, sive à sola vestra iniquitate, & invidia, sinè alicujus rei nocumento à nobis, & à tota regione Christianorum auferatis, & sicut pulvis, & folia ante faciem venti, sicut lanugo, & stipula evanescant, quæ à vento rapitur; & eo modo, quo ascendente Jesu ad Cœlos; confusi præcipientes fugistis; & eas præcipientes in saxosis montibus, in cavernis, & locis aridis, & desertis & in abyssis, in quibus non aratur, nec seminatur, nec quippiam colligitur; nec nomen Jesu Christi invocatur, nec nominatur, ut rabies vestras maledictas ibidem spumar-



mantes, vos incendant fulgura de Cœlo; imò in virtute ejusmodi Omnipotentis Dei, & Domini nostri Jesu Christi impero, ut fugientes relinquatis nobis imbrem, & aquam benedictam, & sanctam ad irrigandos agros, & nemora, & viridaria, & vineas, & sylvas, & prata & oliveta nostra; ut habeant pauperes panem, vinum, & oleum, omniumque generum fructus in abundantia, & saturitate, & hoc totum præcipio strictissimè, in virtute sanctæ obedientiæ, ac excommunicationis majoris pœna latae sententiæ, ac sub pœna annorum centum mille, de pœna accidentali illièd incurrenda causa inobedientiæ.

Fugite ergo; nam impero vobis, per unitatem essentiæ Dei † per æqualitatem personarum Dei † per immensitatem Dei † per incommutabilitatem † Dei, per incomprehensibilitatem Dei † per infinitatem Dei † per immutabilitatem Dei † per simplicitatem Dei † per excellentiam Dei † per bonitatem Dei † per notionem Dei, † per ineffabilitatem Dei † per clementiam Dei † per charitatem Dei † per amorem Dei † per potentiam Dei, † per sapientiam Dei, † per virtutem miraculorum Dei, † per scientiam Dei, † per voluntatem Dei, † per justitiam Dei, † per misericordiam Dei, † per splendorem Dei, † & per majestatem Dei, † UT RABIES vestras maledictas, &c.

Conjuro vos Angeli nigerrimi, & fugo † per Incarnationem Domini nostri Jesu Christi, † per Adventum ejus, † per Nativitatem ejus, † per Baptismum ejus, † per sanctum Jejunium  
ejus, †

ejus, † per Prædicationes, & miracula ejus, † per columnam, ad quam fuit ligatus, & flagellatus, † per spineam coronam, & clavos, & lanceam ejus, † per Crucem, & acerbissimam Passionem ejus, † per testamentum, in quo Discipulum Matri, & Matrem Discipulo commendavit † per emissionem Spiritus ejus † per sepulturam ejus, † per descensionem, & spoliationem Inferni, † per Resurrectionem Sanctissimam ejus, † per missionem Spiritus Sancti in Discipulos, † per Adventum ejus in die Judicii. *UT RABIES vestras maledictas, &c.*

Conjuro vos Angeli præcipitati & fugo † per Annuntiationem, & Conceptionem Beatæ Virginis Mariæ, † per Nativitatem & Præsentationem ejus, † per Assumptionem ejus super Choros Angelorum, † per cœlestem Hierarchiam superiorem, mediam, & inferiorem † per Cherubim, considerantes Dei bonitatem, in quibus Deus amat ut charitas, † per Seraphim, considerantes Dei veritatem, in quibus Deus noscit ut veritas, † per Thronos, considerantes Dei æquitatem, in quibus Deus sedet ut æquitas, † per Dominationes Angelorum officia regentes, in quibus Deus dominatur ut Majestas, † per Principatus populorum capitibus præsidentes, in quibus Deus agit ut Principatus, † per Potestates, vires Dæmonum coërcentes, in quibus Deus tuetur ut salus, † per virtutes, ad quos miraculorum operatio pertinet, in quibus Deus operatur ut virtus, † per Archangelos majorum negotiorum operatores, in quibus Deus revelat ut lux, †  
per

per Angelos humanæ custodiæ sollicitos, in quibus Deus mittit ut inspirans, † per Apostolorum sonum, quod in universum ad conversionem gentium exivit, † per Constantiam Martyrum, & per eorum sanguinem in accerbissimas passiones fufum, de quo ornata est sancta Jerusalem, † per Fidem, hospitalitatem, benignitatem, sobrietatem, sanctitatem, & continentiam Sanctorum Confessorum, † per Sanctas Virgines, quæ secum oleum habentes intraverunt cum Sponso suo Christo ad nuptias cœlestes, † per omnes Sanctos Dei, quorum vitæ cursus, nihil aliud fuit, quàm unus cum vigili hoste conflictus, qui gubernaculum fidei viriliter, & scutum timoris Dei infatigabiliter tenuerunt: ita ut, anchora spei navem plenam cœlestibus divitiis, & æternis mercibus, in optato litore collocaverunt. *UT RABIES, &c.*

*Hic peractis, Crucem contra tempestates tenens, dicat:*

Fugo vos, per hoc signum Sanctæ † Crucis. In nomine Dei Patris, † extermino vos, per Crucem admirabile signum in nomine Dei Filii, † dissipatio vos, per Crucem signum æternæ confusionis vestræ; in nomine Dei Spiritûs Sancti, † Disperdo vos per Crucem, in qua fides nostra consistit; in nomine Patris, † destruo vos per Crucem torcular, quò Sanguis Christi exprimitur; in nomine Filii, † annihilo vos per Crucem triumphum redemptionis nostræ; in nomine Spiritûs † Sancti. Consumo vos per Crucem, clavem Paradisi in nomine Patris, † confundo vos per Crucem, in qua  
pre-

pretium nostrum pependit, & regnum. In nomine Filii, † irrumpe vos per Crucem morsum Sathanæ, & Angelorum ejus. In nomine Spiritûs † Sancti. Liquesfacio vos per Crucem, perpetuum scutum Christianorum. In nomine Patris, † persequor vos per Crucem fugatricem Diabolorum. In nomine Filii, † resolvo vos in aquam, per Crucem maledictorum perditionem; In nomine Spiritûs Sancti, † Amen.

*Si adhuc perseverat, repete ut supra ibi. O Angeli Tartarei, &c.*

*Prosequendo donec fugam paraverint. Flagellum Dæmonum.*

Conjuro † vos nubes, & grandines, seu tempestates, ac vobis præcipio per Deum Patrem † per Deum Filium, † per Deum Spiritum † Sanctum, qui sunt in substantia unus Deus, per potentiam Patris, per sapientiam Filii, & per amorem Spiritûs Sancti, procedentis ab utroque; per sacram Obedientiam Jesu Christi, per sacram Humilitatem Virginis Mariæ Dominæ nostræ: per virtutes Apostolorum, per Passiones terribiles Martyrum Christi, per novem choros Spirituum cœlestium; per fidelem, & sacram Vitam Confessorum: per omnes Sanctas Mulieres Famulas, & Martyres Christi; per omnes Animas Beatas Cœli; per sacram obumbrationem, quam fecit virtus altissimi Beatæ Virgini Mariæ Dominæ nostræ, per imperiale Verbum, quod fecit Christus ventis, ut cessarent; per divisionem mirabilem maris rubri, quam fecit Potentia Divina populo Judæico; per omnia ista superscripta conjuro, † & præ-



præcipio vobis ô nubes, & grandines, quòd in  
 signum hujus sacræ Crucis † quam contra vos  
 facio indivisæ, repentè recedatis à nobis, & ab  
 hoc loco, sinè læsione alicujus hominis, sive lo-  
 ci, sive navis, sive terræ, & deleamini per aë-  
 rem. Amen. Item adjuro vos † grandines, &  
 ventos, per quinque vulnera Christi, per tres  
 clavos, qui ejus manus, & pedes perforarunt,  
 ut in aquam resoluti descendatis. In nomine  
 Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Exurge Christe adjuva nos. Et libera nos  
 propter nomen tuum.

Adjuro vos Angeli tartarei, per Patrem, &  
 Filium, & Spiritum Sanctum, & per illam lan-  
 ceam † conjuro vos, quâ Dominus noster Je-  
 sus Christus fuit vulneratus in Cruce, & per il-  
 los clavos, qui membra Domini perforave-  
 runt: & per illam aquam, & sanguinem, qui  
 de latere Christi effluxit: & per illam Spineam  
 Coronam, quæ in capite Domini nostri Jesu  
 Christi posita fuit: & per sanctam Resurrectio-  
 nem ejus, & Ascensionem; per gratiam Sancti  
 Spiritûs. † Conjuro vos Spiritus maligni, ut  
 non habeatis virtutem, neque potestatem su-  
 per campos nostros aliquid malefacere. † Con-  
 juro vos maligni Spiritus per Patrem Domini  
 nostri Jesu Christi, & omnes Sanctos ejus. †  
 Conjuro vos per sanctam Mariam Matrem Do-  
 mini nostri Jesu Christi, & per sanctum Michaë-  
 lem, & sanctum Gabriëlem, & sanctum Raphaë-  
 lem. † Conjuro vos, & contradico vobis per  
 istas conjurationes, ut non habeatis potestatem  
 in nubibus Cœli nobis nocere, neque in arbori-  
 bus,

bus, neque in vineis nostris, neque in ista Provincia, ut non habeatis potestatem super populum Christianum fundere tempestatem. † Adjuro vos per sanctum Petrum, & per sanctum Paulum, qui suis orationibus dejecerunt Simonem Magum, & per sanctum Andream, & per sanctum Joannem, & per sanctum Bartholomæum, & per quatuor Evangelistas, sanctum Matthæum, sanctum Marcum, sanctum Lucam, & sanctum Joannem, † vos conjuro per Communionem, & societatem Sanctorum civium Christi, & per duodecim legiones Angelorum, & per viginti quatuor Seniores, & omnes virtutes Angelorum, & per septem candelabra Christi, & per septem donationes, & per septiformem gratiam Dei, & per singula merita singulorum, & per agnum Dei, immaculatum Jesum Christum, cui est honor, & virtus, & per eos Angelos, qui stant in Paradiso. † Conjuro vos per verum Deum vivum Cœli: Deum Angelorum, Patriarcharum, & Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Deum Virginum, ut non habeatis potestatem, neque virtutem in nubibus Cœli nobis nocere, neque flagellare super campos nostros, sed in loca deserta, ubi arans non arat, nec seminans seminat. Amen.

Ergo maledicti Dæmones adjurati, per nomen æterni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi Filii ejus, trementes, discedite ab hoc loco, & date honorem Spiritui Sancto, qui est benedictus in sæcula sæculorum.



## O R A T I O.

**D**Eus, qui beatæ Brigidæ inimicos superare concessisti, præsta nobis famulis tuis, ut intercedentibus ejus oratione, atque meritis, ab omni tempestatis nube liberari valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum † Increatus Pater, † increatus Filius, † increatus Spiritus Sanctus. Hagios: Otheos: Ecce Crucem † Domini: Fugite partes adversæ vicit Leo de Tribu Juda, radix David: Alleluja, † Alleluja, † Alleluja. † Dixit Dominus ex Basam, convertam, convertam in profundum maris: Domine Jesu Christe, qui Cœlum, & terram fundâsti, & flumen Jordanis benedixisti, & in eo baptizari voluisti, † benedicere, & san † ctificare pro tua pietate digneris has nubes, quas video ante me positas, ut deficient, & transeant in aquam salutarem, aut tempestatem faciant in locis desertis, & non noceant aliquibus personis, domesticis Christianis, neque domesticis animalibus, neque agris, neque fructibus virtute Spiritûs Sancti, & oratione beatæ Brigidæ Virginis, & Omnium Sanctorum, & Sanctarum. † Dei. Amen. † In nomine Christi. Amen. † Emmanuel, † Paraclitus, † Sabaoth, † Ischyros, † Athanatos. † In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti. Añ.

## O R E M U S.

**D**omine Jesu Christe, qui Cœlum, & terram fecisti, & in flumine Jordanis baptizari voluisti benedicere † re, & sanctificare digneris has nubes, quas video ante me positas, ut per virtutem, & potestatem tuam transeant, & defluant,

fluant, & convertantur in aquam benedictam, & sanctam, ut non noceant, ullis finibus Christianorum nec bonis, ac fructibus terræ, & per Passionem Jesu Christi, & per orationem beatæ Brigittæ Virginis, vos conjuro in nomine Patris, + & Filii, + & Spiritûs + Sancti. Amen. Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Ecce Crucem + Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, radix David. Alleluja. Sancta Maria Mater Dei, & misericordiæ, ora pro nobis. Barbara Virgo Christi mitissima nos serva, & Dæmonis hos laqueos digneris vitæ fugari, Jesus Nazarenus Rex Judæorum custodi nos à morte pessima, & à pœnis Inferni. Amen.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos, Virgo gloriosa, & benedicta.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Amen.

Ego Sacerdos quamvis indignus auctoritate Apostolica, qua fungor, & in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Passionis ejus præcipio vobis Dæmones cum omni societate + vestra, ut non habeatis potestatem in nubibus Cœli, nec mittere grandines + tonitrua, atque fulgura, & omnia, quæ mala sunt, & contra genus humanum sunt, & bona sua; & hoc præceptum sit vobis sub pœna gehennæ ignis: In nomine Patris, + & Filii, + & Spiritûs + Sancti. Amen. Timete ergo judicia Dei, expave-  
scite

scite iram Omnipotentis, perscrutate iniquitates vestras, in quantis deliquistis, & quomodo verum bonum neglexistis. Estote ergo obediētes mandatis meis.

Auctoritate Apostolica, qua fungor, præcipio vobis. Fugite maledicti ab hoc loco in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis; Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti. Et vœ vobis nisi fugam paraveritis, quia non estis connumerati inter fundamenta Paradisi, neque inter innumerabiles militias Angelorum. Recedite ergo in nomine sanctissimæ Trinitatis, cujus Deitas est indivisa in opere, concors in voluntate, par in potentia, æqualis in gloria, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, Pater, † & Filius, † & Spiritus † Sanctus. Cui honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

O superbissimi Dæmones, ô inimici fidei, ô adductores mortis, ô vitæ raptores, ô Justitiæ declinatores, ô malorum radices, ô fomites vitiorum, ô seductores hominum, ô proditores gentium, ô incitatores invidiæ, ô origines avaritiæ, ô causa discordiæ, ô excitatores dolorum, & malorum cunctorum inventores. Qui statis, & non resistitis, qui cum sciatis Christum vestras perdere vires, parate igitur fugam, quia ego vobis præcipio in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti. Amen.

*Hic Sacerdos elevet Crucem contra tempus tempestuosum, dicens:*

O inimici maledicti Crucis Christi fugite, Ecce vexillum † redemptionis nostræ. † Ecce signum æternæ maledictionis, & confusionis

vestræ. † Ecce amicis Dei præsidium, & inimicis Dei obstaculum. † Ecce in cujus unico Sanctissimæ Crucis signo debilitati aufugistis. † Ecce lignum, quod erit in Cælo, cum Dominus adjudicandum venerit. Parate igitur fugam, quia ego vobis præcipio in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Conjuro vos aëreas potestates per Deum vivum † per Deum verum † per Deum sanctum † ut non jactetis grandines, & tempestates in possessionibus, & finibus nostris, & non dixeritis ante tribunal Christi, quod nemo vobis contradixerit. Ego enim vobis præcipio in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti, ut non jactetis grandines, & tempestates in possessionibus, & finibus nostris. Sed eas projicite per fluvium, vel immergite in mari, sine damno alicujus personæ. Amen.

Adjuro vos Angelos tenebrarum, & omnes incantatores, & incantationes malorum, & omnes Sathanæ ministros, qui coagulatis ventos, & tempestates emittitis, & labores hominum tollitis. Adjuro vos per Patrem † & Filium † & Spiritum † Sanctum, ut non noceatis in finibus nostris, sed revertite retrorsum, & ite in loca deserta, ubi non aratur, nec seminatur, nec habitatio hominis est, nec esse potest. Adjuro vos per Beatissimam Virginem Mariam Dei genitricem, & per Beatissimum Præcursores, & Martyrem Christi Joannem Baptistam, & per Michaëlem Archangelum, qui Principem vestrum diabolum Sathanam expugnavit, & catenis igneis alligavit. Adjuro



vos per tres Patriarchas, & viginti quatuor Seniores, & per duodecim Apostolos, & per quatuor Evangelistas, & per omnes Martyres, & per omnes illos, qui Deo placuerunt ab initio mundi, & coronati sunt ante eum, ut non mittatis grandines & tempestates, nec fulgura, nec ullam conuscationem in finibus nostris. Sed veniat aqua sine aliqua malitia, quam Dominus benedixit in flumine Jordanis, ubi ipse baptizatus fuit. & inebriet terram, & eam faciat germinare. Ego autem vos conjuro in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti. Et per omnes virtutes cœlorum, ut nullam dominationem habeatis in finibus nostris, ne cum veneritis ante tribunal Domini nostri, Jesu Christi, dicatis mentientes, nos fuimus in tali patria, & nemo nobis contradixit. Ego autem vobis contradico, & conjuro omnes contrarietates vestras per Dominum nostrum Jesum Christum creatorem omnium visibilium, & invisibilium, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, qui ambulat super aspidem, & basiliscum, & conculcat Leonem, & Draconem, cui nomen Sanctum terribile, & immortale Adonai est, cui omne genu flectitur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum, & omnes ei proclamant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt Cœli, & terra gloria ejus. Vos autem ministri Sathanæ & tenebrarum, & omnes Spiritus maleficiorum convertite retrorsum, & discurrite in montibus, & locis desertis, ubi nullus habitat, nec labor Christianorum est, recedite ergo, &

convertimini retrorsum, & confundimini omnes spiritus nequitiae, quia Deus est adiutor noster in æternum. Nos verò lætabimur in Domino Deo nostro, & laudes ei dicemus Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui est, & erat, & qui venturus est, Hosanna in excelsis. Amen.

Conjuro † vos aëreas potestates per Deum vivum, & verum Creatorem cœli, & terræ, per illum, qui firmavit aridam, & fundavit, cui non est principium, neque finis, cui omne genu flectitur, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum, ut non habeatis potestatem in Parochia ista nec in terra aliqua, ubi nomen Domini invocatum sit. Iterum conjuro † vos per miram potentiam Dei, & nobilitatem Creatoris omnium, qui disponit omnia, & illa gubernat perpetua ratione, & per ejus sanctissima nomina, per quæ firmamentum volvitur, regitur cœlum, terra ponderatur, mare mensuratur, Otheos, Agla, Saday, Adonay, ut citò, & sine mora recedatis quicumque estis in aëre, ubicumque sitis, ut cum fortuna in montibus arduis & remotis recedatis. Iterum vos conjuro † per Angelos Dei fortes, & electos, Michaëlem, Gabriëlem, & Raphaëlem, per thronum Dei vivi, per triumphalem, & igneam facem, quæ exiit ab ore sedentis super thronum, & gloriam, & per largam potentiam suam, & per illud sanctissimum Corpus Christi, quod offertur in Missa per sacratissima verba per Sacerdotem illic prolata, ut citò recedatis, ut credamus, & confiteamur quia Jesus Christus filius Dei vivi omnipotens est, per obedientiam vestram, quia

Deus

Deus potens est, & superpotens, & non est alius  
Deus præter Deum cœli, qui est trinus & unus.  
Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Re-  
cedite ergo vos maligni spiritus obedientes  
omnibus verbis, quæ de Deo vivo, & vero di-  
co, & nolite esse inobedientes imperiis meis,  
quæ in honorem ejus facio vobis, sed date glo-  
riam nomini ejus, & in signum obedientiæ ve-  
stræ validissimæ potentiæ suæ furor in puteum  
ultionis vos intrudat: Iterum atque iterum  
conjuro † vos per quatuor Angelos, qui qua-  
tuor angulis terræ constituti sunt, quibus da-  
tum est nocere terræ, & mari, & omnibus ar-  
boribus, vosmet si estis. Conjuro † per omnia  
verba, & nomina prædicta, & per omnes cives  
cœlestes, & per virtutem fortissimi, & virtuo-  
sissimi Nominis Domini nostri Jesu Christi,  
quod est inter nos, ut citò recedatis sinè aliqua  
mora, nullum nocumentum inferentes in ter-  
ra, sed ite cum vestra fortuna, ubi nullus habi-  
tat nisi vos. Exaudite ergo Exorcismum, quem  
vobis facio, & nolite contemnere verba, quæ  
dicimus de Salvatore nostro Deo vivo, & vero,  
qui vester Deus est, & per nomen ejus fortissi-  
mum, per quod resurgent ossa mortuorum, ut  
velociter recedatis, & sitis obedientes verbis  
prædictis, per virtutem, & potentiam Dei om-  
nipotentis, qui venturus est judicare vivos, &  
mortuos, & sæculum per ignem. Iterum con-  
juro † vos per nomina Sanctissimi Dei vivi, &  
veri, Alpha, & Omega, & alia nomina reveren-  
da, ut non habeatis potestatem in bonis no-  
stris, quæcumque sint, nec in quibuscumque  
B 3 aliis, †

aliis, † conjuro vos per potestatem Dei excelsi, & per diem tremendum Judicii, in quo vos judicabit Jesus Christus, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & per illum, quem peperit Virgo Maria, & qui coram discipulis suis est elevatus in Cœlum. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula. Amen.

Iterum conjuro † vos diabolicas & aëreas potestates, ut non fundatis tempestatem aliquam in bonis nostris, per hæc sanctissima nomina. Deus, Rex, Lux, Emmanuel, Sabaoth, Adonay, Tetragramaton, Ovis, Hely, Heloy. In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti. Amen.

Conjuro vos omnes Spiritus maligni, per Creatorem cœli, & terræ, per Incarnationem ejus; per Baptismum, per Jejunium, per Crucem, per Mortem, & Resurrectionem ejus. Et conjuro vos per gloriosissimam Virginem Mariam Matrem Domini nostri Jesu Christi, per sanctos Angelos, Archangelos, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Martyres, Confessores, Virgines, & per omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & per quatuor Animalia ante Divinam Majestatem gradientia, oculos ante, & retro habentia, & per illud nomen sanctum Dei Tetragramaton. Conjuro † vos spiritus maligni, umbræ, phantasmata, & omnes ministri, & incantatores diabolicæ artis per thronum Dei, & per Divinam Majestatem, & per ignem ante thronum circumstantem, & per virtutem Agni Dei Deum orantis, & per omnes alias militias exercitus Cœli, & per illam obedientiam, quam  
Deo



Deo observare debetis, & per omnes Angelicas intelligentias, moventes, regentes, inspirantes, & influentes, atque gubernantes orbes Coelorum, septem planetarum, ac omnium stellarum; creaturarum, quatuor elementorum; quæ sunt in mundo, & per celebrationes, laudes, & sacrificia, quæ fiunt nunc, & per ea, quæ facta sunt, & etiam in futurum fient, & per summum Creatorem omnium, & per laudem, & gloriam ipsius Dei Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Et per totius curiæ Coelestis exercitus, quod non deponatis iram vestram, nec tempestates, nec ullas damnificationes supra locum nostrum, seu territorium nostrum, nec in confinibus dicti territorii. Sed in Mare, vel in aquis, aut in locis sylvestribus longè degentibus à confinibus supradictis, fiat tempestas vestra. Ne autem cum veneritis in die Judicii ante Tribunal Domini nostri Jesu Christi dicatis, quod nemo vobis contradixit, quoniam ego vobis contradico. In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti. Et iterum vobis denuò contradico, & hoc instanter, & instantissimè conjuro, constringo, ligo, & exorcizo, vos omnes spiritus malignos supradictos, & omnes ministros, & incantatores diabolicæ artis, quod statim, & sinè aliqua mora, & sinè aliqua damnificatione recedatis, nec damnificetis, nec damnificare faciatis, supradictum territorium nostrum. Et ideò vobis præcipio auctoritate supra allegata, & per potestatem, quam habeo super vos, mihi traditam in Baptismo, & in aliis

Sacramentis, ut citò, & sinè aliqua mora hinc recedatis, & eatis in desertos montes, & loca deserta, ubi non aratur, nec seminatur, nec ulla habitatio est, & ibi malitiam vestram exerceate, & ibi vestras tempestates dejicite. Et etiam vobis præcipio auctoritate superiùs allegata, nisi posueritis in effectum jussionem meam, prædicta conjuratione, & comminatione in supradictos, & per virtutem Omnium Sanctorum, ac Sanctarum Dei, vos omnes spiritus malignos ligo, & constringo in profundum maris, & abyssi, & in stagnum ignis, & sulphuris, & hoc per tremendum diem Judicii, & per virtutem omnium supradictorum. Amen. Et etiam per Crucem Domini nostri Jesu Christi, fugite in partes diversas, nam vicit Leo de Tribu Juda, radix David, Alleluja † Alleluja † & fiat. Amen.

Conjuro † iterum vos per quatuor Evangelistas sanctum Matthæum, sanctum Marcum, sanctum Lucam, & sanctum Joannem, & per Mortem, & Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, & per duodecim Apostolos. In nomine sanctæ, & individue Trinitatis Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

*Practica Exorcistarum.*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui in majestate tua ascendis super Cherubim, & volas super pennas ventorum sicut aliquando in fremitu tuo ponis tenebras latibulum tuum, tenebrosam aquam in nubibus aëris. Miserere, mise-

miserere nostri: placare, placare Domine, parce, parce, populo tuo, & aërea, quæsumus, discedat malignitas tempestatum, ut sicut justè pro peccatis nostris afflictionis periculo imminente affligimur, ita misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus. Et si forsitan opere diabolico hæc concitantur contra Majestatem tuam, quæ producit in montibus sænum, & herbam servituti hominum, & adversum naturam ipsam terræ nascentia producentem, qua liberalissimè operaris in omnibus, atque in tuorum fidelium detrimentum; intona quæsumus de cælo Altissime, da contra spirituales nequitiam vocem tuam, grandinem, fulgura, ac tempestates dissipa, & conturba eas, ut cognoscant te rectorem omnium esse qui temperas rerum vices nunc, & in perpetuum. Amen.

*Sacerdos conversus ad nubes, dicat:*

**E**Xorcizo vos scelestissimos dæmones, qui naturalia principia, & aëreas impressiones, ex quibus mortalibus omnibus, diversimodè beneficia operatus est Deus, ausi estis in consumptionem nequitiae vestrae convertere, ventos concitantes, vapores congregantes, nubes componentes, & grandines condensantes, per Deum Patrem Omnipotentem † per Dominum Jesum Christum Filium ejus unigenitum, † per sancta nomina ejus; scilicet Verbum, Emanuel, Jesus Christus, Rex regum, Dux in misericordia, Princeps pacis, Vir oriens, Dominus justus, Legifer, Magister, Filius primogenitus, Unigenitus, Puer nobis datus, Mediator, Pontifex,

Sacerdos in æternum, Caput Ecclesiæ, Prophe-  
ta magnus, Medicus animarum, Pastor bonus,  
Angelus testamenti, Leo de Juda, Vitulus sagi-  
natus, Ovis occisionis, Agnus Dei, atque per  
Spiritus Sanctum Dominum, & vivificantem,  
qui ex Patre, Filioque procedit. † Exorcizo vos  
per gloriosam Virginem Mariam, quæ vas auri  
solidum dicitur, Pelles Salomonis, Lili-  
um inter spinas, Virga Jesse, Virgula sumi, Fons sig-  
natus, Puteus aquarum, Amicta Sole, Pulchrior  
Luna, & Stella Maris; Exorcizo vos per omnes  
illos, in quibus Deus mirabilis & gloriosus ap-  
paret, sive in Cœlestibus Hierarchiis, sive in  
terrestribus ordinibus, quatenus inceptum  
opus relinquentes, grandinem dissolvatis, nu-  
bes destruatis, vapores dispergatis, & ventos  
cohibeatis, per eundem, qui æqualem non ha-  
bet in nubibus, nec in filiis Dei similem, & vi-  
vit, & regnat semper. Amen.

Conjuro † te tempestas per nomen Domini  
nostri Jesu Christi: & per nomina trium Re-  
gum, quorum sunt Caspar, Melchior, & Bal-  
thasar, qui Dominum in Bethlehem visitare  
voluerunt & obtulerunt aurum, thus, & mir-  
ham. Tibi impero, ut procul fugias, & citò re-  
cedas à finibus nostris, ne nocere valeas ullis fi-  
nibus Christianorum. Conjuro † te tempestas,  
per sanctissima nomina Jesu Christi. Conjuro †  
te per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum,  
& per Beatam Mariam Matrem ejusdem Do-  
mini nostri Jesu Christi, & per Angelos, & per  
Archangelos, per Thronos, & Dominationes,  
Principatus, & Potestates, per Cherubim, & Se-



raphim: Conjuro † te tempestas per septuaginta duos Discipulos Domini nostri Jesu Christi. Conjuro † te tempestas, per omnia, quæ Deus fecit: & per virtutes Cœlorum, & per septuaginta nomina ejusdem Domini nostri Jesu Christi, Hæbraicè, Græcè, & Latinè, quibus nuncupatur Deus. Conjuro † te tempestas per duodecim Apostolos Domini nostri Jesu Christi, & per tres Patriarchas Abraham, Isaac, & Jacob: & per quatuor Evangelistas Dei, Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem. Conjuro † te tempestas per Annuntiationem, & Incarnationem Domini nostri Jesu Christi, per Nativitatem, per Circumcisionem, per Apparitionem, per Adventum, per Prædicationem, per Jejunium, Tentationem, & Transfigurationem, per Traditionem, Captionem, Colaphizationem, Flagellationem, Irrisionem, & Passionem ejus, per Crucem, & Clavos, & per Lanceam, Vulnera sua, per mortem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & per dolorem, & lachrimas, quas habuit Beatissima Virgo Maria Mater ejusdem Domini nostri Jesu Christi, de Filio suo Domino nostro Jesu Christo, & per Sepulturam ejus, & Resurrectionem, & Ascensionem ejus, per Spiritum Sanctum Paraclitum Domini nostri Jesu Christi, ut procul fugias, & citò recedas à finibus nostris. Conjuro te tempestas per sanctissimam Mortem Jesu Christi, & per Crucem, in qua pependit pro nobis peccatoribus, Agios, Ischyros, Athanatos. Conjuro † te tempestas, per hæc nomina, Heloy, Alpha, & Omega, principium, & finis, Pax, Vita, Virtus, Salva-

tor, Rex magnus, Deus Sabaoth. Conjuro ⁊ te tempestas per Monachos, & Eremitas, & Virgines, & per continentes, & per omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & per omnes Missas, quæ ubique fuerunt cantatæ, & per eos omnes, qui eas cantaverunt, & per omnem potestatem Domini nostri Jesu Christi, & per omnia, quæ ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum dici possunt. Conjuro ⁊ te tempestas per omnia supradicta, ut non noceas, nec nocere possis animalibus, nec bonis nostris. Conjuro ⁊ te tempestas, ut non cadas in territorio nostro, seu in finibus nostris, nec in alio loco, ubi nocere possis Christianis, sed cade in loco deserto, seu eremo inhabitabili, vel in tali loco, ut nemini noceas. Amen.

*Canticum trium Puerorum.*

**B**enedicite ⁊ omnia opera Domini Domino: laudate, & super exaltate eum in sæcula.

Benedicite ⁊ Angeli Domini Domino: benedicite ⁊ Cœli Domino.

Benedicite ⁊ aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt Domino: benedicite ⁊ omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite ⁊ Sol, & Luna Domino: benedicite ⁊ Stellæ Cœli Domino.

Benedicite ⁊ omnis imber, & ros Domino: benedicite ⁊ omnis spiritus Dei Domino.

Benedicite ⁊ ignis, & æstus Domino: benedicite ⁊ frigus, & æstus Domino.

Benedicite ⁊ rores, & pruina Domino: benedicite ⁊ gelu, & frigus Domino.

Benedicite ⁊ glacies, & nives Domino: benedicite ⁊ noctes, & dies Domino. Be-

Benedicite † lux, & tenebræ Domino: benedicite fulgura, & nubes Domino.

Benedicat † terra Dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite † montes, & colles Dño: benedicite † univèrsa germinantia in terra Domino.

Benedicite † fontes Domino: benedicite † maria, & flumina Domino.

Benedicite † cete, & omnia, quæ moventur in aquis Domino: benedicite † omnes volucres cœli Domino.

Benedicite † omnes bestia, & pecora Domino: benedicite † Filii hominum Domino.

Benedicat † Israël Dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite † Sacerdotes Domini Domino: benedicite † servi Domini Domino.

Benedicite † spiritus, & animæ justorum Domino: benedicite † sancti; & humiles corde Domino.

Benedicite † Anania, Azaria, Misael Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem † & Filium † cum Sancto † Spiritu: laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento Cœli: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

*Symbolum Sancti Athanasii.*

**Q**uicumque vult salvus esse: ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit; absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate; & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas; neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii; alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una est divinitas: æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius: increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius: immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius: æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni; sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii: sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini: sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum, ac Dominum confiteri Christiana

veri-



veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.

Pater à nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater non tres Patres, unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supradictum est, & unitas in Trinitate: & Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse: ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem: ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur: quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius, Deus, & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem.

Qui

Qui licet Deus sit, & homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ: sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus, & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos; tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos, & mortuos,

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis; & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus; & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficient; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et justii epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus; turbabuntur à facie ejus, Patris orphanorum, & Judicis viduarum.

Deus

Deus in loco sancto suo; Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine; similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui; cum pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim Cœli distillaverunt à facie Dei Sinai; à facie Dei Israël.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est; tu verò perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea; parasti indulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit Verbum evangelizantibus virtute multa.

Rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei Domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medicos cleros, pennæ columbæ deargentatæ; & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon; mons Dei mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis; ut quid suspicamini montes coagulatos.

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cœpisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus, ex Basan convertam: convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Prævenierunt Principes conjuncti psallentibus: in medio juvenularum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israël.

Ibi Benjamin adolescentulus: in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephtali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cante Deo, psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super Cœlum cœli: ad orientem.

Ecce



Ecece dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israël; magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël; ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Pfal. 147. Lauda Jerusalem Dominum, &c.

*Psalmus 90.*

**Q**ui habitat in adjutorio Altissimi; in protectione Dei Cœli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium; & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi; & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die à negotio perambulante in tenebris; ab incursum, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis considerabis; & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea; altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum; & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te; ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te; ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super

Super aspidem, † & basiliscum † ambulabis,  
& conculcabis leonem, † & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum; quoniam cognovit nomē meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

*Genibus flexis Sacerdos dicit Litaniis sequentes.*

**K** Yrie eleison.                      Christe eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus.                      Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus.              Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus.                      Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus.              Miserere nobis.

Sancta Maria.                              Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix.                      ora.

Sancta Virgo Virginum.                      ora.

Sancte Michaël.                              ora.

Sancte Gabriël.                              ora.

Sancte Raphaël.                              ora.

Omnes sancti Angeli, & Archangeli.      Orate.

Omnes sancti Beatorum Spirituum ordines.

Orate pro nobis.

Sancte Joannes Baptista.                      ora.

Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ. Orate.

Sancte Petre.                                  ora.

Sancte Paule.                                  ora.

Sancte Andrea.                              ora.

Sancte Jacobe.                                ora.

Sancte Joannes.                                ora.

Sancte

Sancte Thoma.	ora.
Sancte Jacobe.	ora.
Sancte Philippe.	ora.
Sancte Bartholomæe.	ora.
Sancte Matthæe.	ora.
Sancte Simon.	ora.
Sancte Thadæe.	ora.
Sancte Matthia.	ora.
Sancte Barnaba.	ora.
Sancte Luca.	ora.
Sancte Marce.	ora.
Omnes sancti Apostoli, & Evangelistæ.	Orate.
Omnes sancti Discipuli Domini.	orate.
Omnes sancti Innocentes.	orate.
Sancte Stephane.	ora.
Sancte Laurenti.	ora.
Sancte Vincenti.	ora.
Sancti Fabiane, & Sebastiane.	orate.
Sancti Joannes, & Paule.	orate.
Sancti Cosma, & Damiane.	orate.
Sancti Gervasi, & Prothasi.	orate.
Omnes sancti Martyres.	orate.
Sancte Sylvester.	ora.
Sancte Gregori.	ora.
Sancte Ambrosi.	ora.
Sancte Augustine.	ora.
Sancte Hieronyme.	ora.
Sancte Martine.	ora.
Sancte Nicolae.	ora.
Omnes sancti Pontifices, & Confessores.	orate.
Omnes sancti Doctores.	orate.
Sancte Antoni.	ora.
Sancte Benedicte.	ora.
Sancte	

Sancte Bernarde.	ora.
Sancte Dominice.	ora.
Sancte Franciscæ.	ora.
Omnes sancti Sacerdotes, & Levitæ.	orate.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ.	orate.
Sancta Maria Magdalena.	ora.
Sancta Agatha.	ora.
Sancta Lucia.	ora.
Sancta Agnes.	ora.
Sancta Cæcilia.	ora.
Sancta Catharina.	ora.
Sancta Anastasia.	ora.
Omnes sanctæ Virgines, & Viduæ.	orate
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei.	Intercedite pro nobis.
Propitius esto.	Parce nobis Domine.
Propitius esto.	Exaudi nos Domine.
Ab omni malo.	Libera nos Domine.
Ab omni peccato.	libera.
Ab ira tua.	libera.
A subitanea, & improvisa morte.	libera.
Ab insidiis diaboli.	libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate.	libera.
A spiritu fornicationis.	libera.
A fulgure, & tempestate.	libera.
A morte perpetua.	libera.
Per mysteriũ sanctæ Incarnationis tuæ.	libera.
Per Adventum tuum.	libera.
Per Nativitatem tuam.	libera.
Per Baptismum, & sanctum Jejunium tuum.	libera.
Libera nos Domine.	
Per Crucem, & Passionem tuam.	libera.
Per Mortem, & sepulturam tuam.	libera.
	Per



- Per sanctam Resurrectionem tuam, libera.  
 Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.  
 Per Adventum Spiritûs Sancti Paracliti, libera.  
 In Die Judicii, libera.  
 Peccatores, Te rogamus audi nos.  
 Ut nobis parcas, te rogamus.  
 Ut nobis indulgeas, te rogamus.  
 Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.  
 Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare digneris, te rogamus.  
 Ut domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris, te rogamus.  
 Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus.  
 Ut Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.  
 Ut cuncto populo Christiano pacem, & unitatem largiri digneris, te rogamus.  
 Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, & conservare digneris, te rogamus.  
 Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus.  
 Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus.  
 Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rogamus.  
 Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, Te rogamus audi nos. Ut  
 Ut has grandines à dœmonibus excitatas † in aquam reducere digneris, Te rogamus. Ut

- Ut has grandines annihilare, † & à partibus fidelium depellere † digneris. te rogamus.
- Ut has grandines dividere, & effugare † digneris. te rogamus.
- Ut has grandines disperdere, & destruere † digneris. te rogamus.
- Ut fructus terræ dare, & conservare digneris. te rogamus.
- Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. te rogamus.
- Ut nos exaudire digneris. te rogamus.
- Fili Dei. te rogamus.
- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Misere-re nobis.
- Christe audi nos. Christe exaudi nos.
- Kyrie eleison. Christe eleison.
- Kyrie eleison. Pater noster.
- Adjutorium nostrum in nomine Domini.
- Qui fecit Cœlum, & terram.
- ℣. Ostende nobis Dñe misericordiam tuam.
- ℞. Et salutare tuum da nobis.
- ℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.
- ℞. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
- ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
- ℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
- ℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.
- ℞. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Sal-
- ℣. Salvum fac populum tuum Domine.
- ℞. Et benedic hæreditati tuæ. ℣. Exur-

✠. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.  
 R. Et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.  
 Domine exaudi orationem meam.  
 Et clamor meus ad te veniat.  
 Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

## O R E M U S.

**A** Domo tua quæsumus Domine spirituales nequitie repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum. Per Dominum nostrum, &c.

## O R E M U S.

**L** Argiri, & conservare dignare Domine fructus terræ nostræ, ut temporalibus gaudemus auxiliis, & proficiamus spiritualibus incrementis.

Tribulationem nostram quæsumus Domine propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam justè meremur, averte.

Domine Jesu Christe, qui imperasti ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna; exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, ut hoc signo sanctæ † Crucis omnis discedat sævitia tempestatum. Per Dominum nostrum Jesum, &c.

## O R E M U S.

**O** Mnipotens sempiterne DEUS, qui das escam omni carni, qui transfers Austrum de Cælo, & in virtute tua inducis Africum, de cujus operum fructu satiatur terra, qui Angelo præcepisti, ne terræ, aut mari, aut arboribus noceret, propitius esto supplicationibus nostris, quibus te humiliter deprecamur, ut procul abscedat omnis incurtio turbinum, calamitas tempestatum, fragor grandinum, percussio

cussio fulminum, tonitruorum strepitus, ventorum impetus, & commotio, ut fugatis omnibus procellarum spiritibus, & aëris tempestatibus, serenitate tranquilla te donante perfruamur, & in assidua gratiarum actione, & laudum tuarum canticis versemur. Per Christum Dominum, &c.

*Litania Beatae Mariae Virginis.*

<b>K</b> Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.	
Christe audi nos. Christe exaudi nos.	
Pater de Cœlis Deus.	Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus.	Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus.	Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus.	Miserere nobis.
Sancta Maria.	Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix.	ora.
Sancta Virgo Virginum.	ora.
Mater Christi.	ora.
Mater Divinæ gratiæ.	ora.
Mater Purissima.	ora.
Mater Castissima.	ora.
Mater Inviolata.	ora.
Mater Intemerata.	ora.
Mater Amabilis.	ora.
Mater Admirabilis.	ora.
Mater Creatoris.	ora.
Mater Salvatoris.	ora.
Virgo Prudentissima.	ora.
Virgo Veneranda.	ora.
Virgo Prædicanda.	ora.
Virgo Potens.	ora.
Virgo Clemens.	ora.
Virgo Fidelis.	ora.
	Spe-



Speculum Justitiæ.	ora.
Sedes Sapientiæ.	ora.
Causa Nostræ Lætitia.	ora.
Vas Spirituale.	ora.
Vas Honorabile.	ora.
Vas Insigne Devotionis.	ora.
Rosa Mystica.	ora.
Turris Davidica.	ora.
Turris Eburnea.	ora.
Domus Aurea.	ora.
Fœderis Arca.	ora.
Janua Cœli.	ora.
Stella Matutina.	ora.
Salus Infirmorum.	ora.
Refugium Peccatorum.	ora.
Consolatrix Afflictorum.	ora.
Auxilium Christianorum.	ora.
Regina Angelorum.	ora.
Regina Patriarcharum.	ora.
Regina Prophetarum.	ora.
Regina Apostolorum.	ora.
Regina Martyrum.	ora.
Regina Confessorum.	ora.
Regina Virginum.	ora.
Regina Sanctorum Omnium.	ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.	Parce
nobis Domine.	
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.	Exaudi
nos Domine.	
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.	Misere-
re nobis.	
Christe audi nos.	Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.	Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo. Amen.

## O R E M U S.

**G**Ratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

## O R E M U S.

**D**efende, quæsumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate Patriam, & toto te corde poscentem ab hostium propitius tuere clementer infidiis. Per Christum Dominum, &c.

**P**rotege Domine famulos tuos, subsidiis pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinii confidentes, à cunctis hostibus, & periculis redde securos. Amen.

## O R E M U S

**B**eatæ & gloriosæ sempérque Virginis Mariæ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducatur æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

*Si adhuc urgeret tempestas, accedat Sacerdos coram Sanctissimo Sacramento. & accensis luminaribus super Altari. & intortitiis. aperiat Tabernaculum: Pixidem cum Sanctissimo Sacramento extrahat, & super Altari collocet, ibique Litanias, aliasque preces devotè. & cum omni humilitate recitet, & populum hortetur, ut pro*

*omni*

omni eo, quod Dominus disponere voluerit, ei gratias agat, idque totum à benignissimi Patris manu accipiat.

*Ordo servandus in Litanis majoribus, & rogationibus, pro benedictione segetum, ceterarumque frugum terra.*

Parochus unà cum coadjutoribus Clericis, & Ministris, indutus superpelliceo, & stola coloris violacei, in medio ante Altare genuflexus incipiat:

✠. Exurge Christe adjuva nos. Alleluja.

℟. Et libera nos propter nomen tuum. Alleluja.

Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis.

✠. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio. &c.

Repetitur. ✠. Exurge Christe, &c.

### O R E M U S.

**C**Lamantes ad te Deus dignanter exaudi: ut nos de profundo iniquitatis eripias, & ad gaudia æterna perducas. Per Christum Dominum nostrum.

*Deinde Litania ut supra, fol. 44. cantu devotè intonentur.*

Kyrie eleison. Choro, & populo respondente.

*Cum autem cantatum fuerit, Sancta Maria, ora pro nobis.*

*Assurgant omnes, & ordinatim egrediantur, precedente Cruce, devotè procedatur.*

*Si ad aliquam Ecclesiam in itinere divertendum fuerit, cantetur ibi Antiphona de Sancto illius Ecclesie cum suo versu, & oratione, & iterum*

genuflexis omnibus reassumantur *Litania à Sancto*, ubi intermissum fuerat.

Cum *Processio* pervenerit in locis principalibus viarum, & in triviis, & quadriviis, stabit *Processio*, ibique intermissa *Litania*, Sacerdos vertens se ad quatuor partes mundi, signum faciet ad singulas, dicendo:

A fulgure, & tempestate. Libera nos Domine.

Deinde dicit unum ex sequentibus Evangelii.  
 Dominus vobiscum.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*  
**I**N illo tempore: Designavit Dominus, & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam; in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et dicebat illis. Messis quidem multa, operarii autem pauci: Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare facculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis. In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui. Et, si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete: edentes, & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque civitatem intraveritis, & susceperint vos; manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos, qui in illa sunt: Et dicit illis. Appropinquavit in vos regnum Dei.



## O R E M U S.

**U**T fructus terræ dare, & conservare digneris,  
 ris, Te rogamus.

Ut nos exaudire digneris. te rogamus.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster, &c.

℣. Dominus dabit benignitatem.

℞. Et terra nostra dabit fructum suum.

℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur.

℞. Et renovabis faciem terræ.

Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

## O R E M U S.

**B**enedicat † nos Deus Deus noster, & terræ  
 nostræ ubertatem concedat, in centuplum  
 amplificet fructus ejus: ut viventes in exulta-  
 tione manipulos nostros colligamus. Per  
 Christum Dominum nostrum.

## O R E M U S.

**A** Domo tua quæsumus Domine spirituales  
 nequitiae repellantur, & aërearum disce-  
 dat malignitas tempestatum. Per Christum  
 Dominum, &c.

*Supradictus ordo servabitur in omnibus sequen-  
 tibus Evangelii.*

A fulgure, & tempestate, &c.

Dominus vobiscum.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis.  
 Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad il-  
 lum media nocte, & dicet illi. Amice, accom-  
 moda mihi tres panes: quoniam amicus meus

venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse; jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis. Petite, & date dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, noſtis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de Cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. Laus tibi Christe.

Ut fructus terræ dare, &c. fol. 55.

Kyrie eleison, &c. ut suprâ.

O R E M U S.

**D**omine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, mitte Spiritum Sanctum tuum, cum Angelis, & Archangelis tuis, & cum eis omnes Sanctos, ut defendant segetes nostras à spiritibus malignis, ut magnificetur nomen tuum Deus in omni loco. Amen.

Oremus.

A Domo tua quæsumus Domine, &c.

A fulgure, & tempestate, ut suprâ.

Dominus vobiscum.

Sequens

*Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.*

**I**N illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quicquam in nomine meo, Petite, & accipietis; ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus. Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scias omnia, & non est opus tibi, ut quis interroget. In hoc credimus quia à Deo existi. Laus tibi Christe.

Ut fructus terræ dare, ut supra.

O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiterne Deus multiplica super nos misericordiam tuam, & preces nostras benignus exaudi: ut in has fruges famulorum tuorum veniat sperate bene + dictionis ubertas; ut repleti de frugibus tuis in tuo nomine de tua gratia semper exultent. Per Christum Dominum nostrum.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c. fol. 55.

A fulgure, & tempestate, &c.

Dominus vobiscum.

C 7

*Sequem-*

*Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.*

**I**n illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est regnum Cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines: venit inimicus, & superfeminavit zizania in medio tritici, & abiit: Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt, & zizania. Accedentes autem servi patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? & ait illis; inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei; vis imus, & colligimus ea? & ait: Non, ne forte colligentes zizania eradicetis cum ea simul, & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus; colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum.

Ut fructus terræ dare, &c.

O R E M U S.

**T**E Domine Sancte Pater, omnipotens æternè Deus, humiliter deprecamur, ac petimus, ut hos campos visitare † protegere † benedicere † & sanctificare † digneris, atque ut sufficientem messium copiam; fructuum omnium largitate, vinearum substantiam; arborum fertilitatem; animalium fœtus, & fecunditatem, omniùmque rerum proventus, per misericordiam tuam nobis benignè tribuas; Et ab ipsis omnibus pestiferum sydus, tempestatis procellam, grandinis fragorem, & uni-



universa mala avertere digneris. Per Christum  
Dominum nostrum, &c.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c.

---

A fulgure, & tempestate, &c.

Dominus vobiscum.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.*

**I**N illo tempore. Cum turba multa esset cum  
Jesu: nec haberent quod manducarent;  
convocatis discipulis suis, ait illis. Misereor  
super turbam, quia ecce jam triduo sustinent  
me, nec habent quod manducent, & si dimise-  
ro eos jejunos in domum suam, deficient in  
via, quidam enim ex eis de longè venerunt.

Ut fructus terræ dare. &c.

O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiternæ Deus Majestatem  
tuam suppliciter exoramus: ut terræ no-  
stræ sata, segetes, vineas, arbores benedicere +  
sanctificare + multiplicare + conservare + & ad  
maturitatem fertilitatis perducere digneris,  
ut esurientium animas bonis affluentibus re-  
pleas, & egeni, ac pauperes laudent nomen  
tuum. Per Christum Dominum nostrum, &c.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c.

---

A fulgure, & tempestate, &c.

Dominus vobiscum.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

**I**N illo tempore. Cum turba plurima conve-  
nissent, & de civitatibus properarent ad Je-  
sum

sum dixit per similitudinem : Exiit qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat; aliud cecidit secus viam, & conculeatum est & volucres Cœli comederunt illud, & aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem, & aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud, & aliud cecidit in terram bonam; & ortum fecit fructum centuplum.

Ut fructus terræ dare, &c.

Kyrie eleison, ut supra.

O R E M U S.

**Q**uæsumus omnipotens Deus, ut hos campos famulorum tuorum, frugésque in eis existentes, sperantésque præventus benedicere + præservare + multiplicare + & sanctificare + digneris; sicut multiplicâsti fruges Patriarcharum tuorum Abraham, Isaac, & Jacob, ut sit omnibus in te sperantibus abundantia frumenti, vini, olei, cum cæteris ad vitæ humanæ sustentationem necessariis, & sicut te nobis vitam dedisse gloriamur; ita nos ipsos, omniâque nostra ad te referamus: tibi que soli gloriam & honorem semper tribuamus. Per Christum Dominum nostrum.

A fulgure, & tempestate, &c.

Dominus vobiscum.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.*

**I**n illo tempore: Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna; quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit

biit ergo in montem Jesus, & ibi sedebat cum discipulis suis: erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum. Cùm sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum. Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus.

Ut fructus terræ dare, &c.

Kyrie eleison. ut supra.

O R E M U S.

**I**mploramus clementiam tuam Domine Deus noster, ut benedicendo † benedicas, † & multiplicando † fecundes † hos fines terræ nostræ; eosque defendas ab omni injuria, & infestatione inimici; ut segetes, arbores, vineæ, pecora fructum centuplum reddant, & ad maturitatem perveniant; ut famuli tui, qui in gaudio seminaverunt, & plantaverunt; in exultatione colligant, & metant, tibi que gratias agant semper, & benedicant. Per Christum Dominum nostrum, &c.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c.

A fulgure, & tempestate, &c.

Dominus vobiscum.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.*

**I**n illo tempore; dixit Jesus discipulis suis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat.

fiet ei. Propterea dico vobis; omnia quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis. Laus tibi Christe.

Ut fructus terræ, &c.

Kyrie eleison. ut supra.

O R E M U S.

**R**ogamus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluviae temperamento nutrire dignatus es benedictio + nis tuæ imbre perfundas; & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas; tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere; ut à fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus, & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c.

A fulgure, & tempestate, &c.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

**I**n illo tempore; dixit Jesus discipulis suis. Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem; nunquid serpentem pro pisce dabit illi? Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de Cælo dabit spiritum bonum petentibus se,

ut



Ut fructus terræ dare, &c.

Kyrie eleison. ut suprâ.

O R E M U S.

**D**Eus, qui in omni loco dominationis tuæ deprecatus assistis; exaudi nos quæsumus; ut inviolabilis hujus terræ permaneat benedictio, & † beneficia tui muneris, universi, qui supplicant, mereantur. Per Christum.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c.

A fulgure, & tempestate, ut suprâ.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.*

**I**N illo tempore, dixit Jesus discipulis tuis: Amen, amen dico vobis. Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam; si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in Cœlis.

Ut fructus terræ dare, &c.

Kyrie eleison. ut suprâ.

O R E M U S.

**P**ietatem tuam, quæsumus omnipotens Deus; ut has primitias creaturæ, quas aëris, & pluvie temperamento nutrire dignatus es; benedictionis † tuæ imbre perfundas, tribuas populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à sterilitate terræ esurien-

rien-

rientium animas bonis affluentibus repleas ;  
 ut egenus , & pauper laudent nomen gloriæ  
 tuæ. Per Christum Dominum.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus , &c.

---

A fulgure , & tempestate , &c.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.*

**I**N illo tempore , dixit Jesus discipulis suis ;  
 Euntes in mundum universum prædicate  
 Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit ;  
 & baptizatus fuerit , salvus erit. Qui verò non  
 crediderit , condemnabitur. Signa autem eos ,  
 qui crediderint , hæc sequentur. In nomine  
 meo Dæmonia ejicient , lingvis loquentur no-  
 vis , serpentes tollent , & si mortiferum quid  
 biberint , non eis nocebit ; super ægros manus  
 imponent , & bene habebunt. Laus tibi Christe.

Ut fructus terræ dare , &c.

O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiterne Deus arbiter thro-  
 ni , qui molem terræ ex nihilo penden-  
 tem gubernas , & ad victum humani generis ,  
 corporisque sustentationem agros operibus  
 excolere jussisti ; misericordiam tuam suppli-  
 ces exoramus ; ut quicquid in hos agros salu-  
 bris seminis fatum , atque plantatum est respec-  
 tu tuæ clementiæ prospicias , & aëris tempe-  
 riam moderari digneris ; ut reseccato , atque  
 absorpto omnium tribulorum , spinarumque  
 squalore , efficias fruges sæcundas , & ad matu-  
 ritatem perfectam tribuas provenire ; ut nos  
 famuli tui uberem tuorum donorum fructum ,  
 cum

cum gratiarum actione percipientes, debitas, atque acceptas nomini tuo laudes referre mereamur. Per Christum Dominum.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c.

---

A fulgure, & tempestate, ut supra.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

**I**n illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam Dæmonia in nomine tuo subjiciuntur nobis. Et ait illis: Videbam Sathanam sicut fulgur de Cælo eadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere; quia spiritus subjiciuntur vobis. Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in Cælis.

Ut fructus terræ dare, &c.

*O R E M U S.*

**C**lementiam tuam omnipotens Deus supplices deprecamur; ut benedi + cere, & visitare + & irrigare + digneris, fruges, & fines servorum tuorum, & ut defendas eos ab omni infestatione inimici; ut abundantia benedictionis tuæ repleas eorum inopiam, & tibi semper laudes referant, qui das escam omni carni. Per Christum Dominum.

*Oremus.*

A domo tua quæsumus, &c.

Ad

*Ad Ecclesiam, unde discesserant revertentes, eum ingressi omnes fuerint, genuflectant, & si dicenda sint preces, & orationes, quæ sunt post litanias, ibi ante Altare devotè terminentur, vel eorum loco dicatur ut infra. Pater noster, &c.*

✠. Exurge Christe adjuva nos.

R. Et libera nos propter nomen tuum.

✠. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum, &c.

O R E M U S.

**D**EUS, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum: populum tuum ad te converte propitius, ut dum tibi devotus extiterit, iracundiæ tuæ flagella ab eo amoveas. Per Christum Dominum.

---

*Benedictio super Cruces, quæ in rogationibus plantantur in trivii, & quatrivii, & capitibus viarum.*

Adjutorium nostrum in nomine Domini.  
Domine exaudi orationem meam.  
Dominus vobiscum.

O R E M U S.

**R**Ogamus te Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus: ut digneris benedicere ꝛ hoc lignum Crucis, ut sit remedium salutare generi humano: sit soliditas fidei; profectus bonorum operum, redemptio animarum; sit solamen & protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum.

O R E M U S.

**B**enedic ꝛ Domine hanc Crucem tuam; per quam  
quam



quam eripuisti mundum à Dæmonum potestate, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per lignum vetitum: benedic & etiam Domine, & sanctifica & illud signaculum sacræ Passionis tuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus perpetuum perfice auxilium. Per Christum Dominum.

*Hic aspergat Crucem aqua benedicta, dicens:* Sanctificetur istud lignum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & ut orantes inclinantesque propter Dominum ante Crucem, inveniunt sanitatem corporis, & animæ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Benedictio contra vermes, vel locustas, vel alia animalia terram, vel fructum vastantia.*

Adjutorium nostrum. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

## O R E M U S.

**P**Reces nostras quæsumus Domine clementer exaudi: ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, & hæc vermium, aut locustarum, aut aliorum animalium patimur persecutionem; pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur; ut procul à tua potentia expulsi nulli noceant, & hos campos, & vineas in tranquillitate, & quiete dimittant; quatenus ex eis surgentia, & orta tuæ majestati deserviant, & nostræ necessitati subveniant. Per Christum Dominum nostrum.

## O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiternus Deus, omnium bo-

norum remunerator, & peccatorum maximus miserator: in cuius nomine omnia genera flectuntur, Cœlestia, Terrestria, & Infernalia tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede; ut quod de tua misericordia confisimur effectum; quatenus hos pestiferos vermes, vel locustas, aut alia animalia per nos servos tuos maledicendo maledicas; segregando segregas; exterminando, extermines; ut per tuam clementiam ab hac peste liberati gratiarum actiones majestati tuæ liberè referamus. Per Christum Dominum nostrum.

*Sequitur Exorcismus.*

**E**Xorcizo vos pestiferos vermes, seu locustas, aut alia animalia, per Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus, & Spiritum Sanctum procedentem ab utroque; ut confestim recedatis ab his campis, seu vineis, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeat, in quibus nemini nocere possitis; pro parte omnipotentis Dei, & totius curiæ Cœlestis, & Ecclesiæ Sanctæ Dei, vos maledicens; quod, quocumque ieritis, sitis maledicti deficientes de die, in diem in vos ipsos decrepantes; quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem, & usum humanum. Quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, &c. Amen.

*Benedictio ovium, pecorum, bovum, ceterorumque animalium.*

**D**Eus Pater Domini nostri Jesu Christi cujus

verbo Cœli firmati, cui omnis creatura deser-  
vit, omnis potestas subjecta est, cujus audito  
nomine serpentes conquiescunt, dracones su-  
giunt, scorpiones extingvuntur, reguli vin-  
cuntur, phalangia nihil noxium operantur,  
venenata non nocent, cunctaque noxia ani-  
malia licet ferocia terrentur: ad auxilium no-  
strum te imploramus, tu ab his armentis aut  
animalibus omnes Diaboli fraudes repelle, fe-  
rarum incursus amove, venena rescinde, eâ-  
que ab omnibus infirmitatibus, adversitatibus  
& periculis libera, dignare Domine per nomen  
Sanctissimum dulcissimi Filii tui, per interces-  
sionem B. Virginis Mariæ, merita S. Antonii,  
omniumque electorum tuorum conservare,  
hæc animalia expurgare, ab omni adversario-  
rum nequitia locum habitationis eorum, salvi-  
ficare pabulum, fecunditatem eis tribuere, &  
tua efficacissima benedictione replere omnia,  
quæ usui horum animalium adaptantur, &  
adaptanda erunt. Per eundem Dominum, &c.

*Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

**I**n illo tempore Pastores loquebantur ad invi-  
cem dicentes: transeamus usque Bethle-  
hem, & videamus hoc verbum, quod factum  
est, quod Dominus ostendit nobis, & venerunt  
festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph,  
& Infantem positum in Præsepio. Videntes au-  
tem cognoverunt de verbo quod dictum erat  
illis de puero hoc & omnes, qui viderunt, mi-  
rati sunt de iis, quæ dicta erant à Pastoribus  
ad ipsos, Maria autem conservabat omnia verba  
hæc conferens in corde suo. Et reversi sunt Pa-  
stores

flores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos.

Dominus vobiscum, &c.

O R E M U S.

**D**omine Deus Rex cœli, & terræ Verbum Patris, per quem facta sunt omnia, & sustentationi nostræ tradita; qui ut redimeres nos peccatores à faucibus Inferni & à potestate aboli, carnem nostram sumere decrevisti, & per Spiritum Sanctum in Utero B. Virginis Mariæ conceptus, in caula inter jumenta nasci non es dedignatus, & pannis involutus in Præsepio reclinari voluisti: respice quæsumus humilitatem nostram, & sicut nostris laboribus, atque necessitatibus per jumenta subvenimentum tribuisti, ita tua benignissima miseratione hæc armenta custodire & tueri ꝛ non recuses, nobisque famulis tuis cum temporali provenitu tuam inaccessiblem gratiam conferre. Qui vivis, & regnas, &c.

Aspergatur aquâ Benedictâ.

*Conjuratio potentissima super persona fascinata, aut magis quibuscumque ligata.*

**I**N nomine Jesu Christi, vobis dæmonibus quibuscumque, si partem aliquam modo quocumque excogitabili, & quovis in loco corporis istius creaturæ, sive extra corpus tenetis, & habetis: Præcipio, ne ei noceatis. & citò, tanquam fulgura recedatis ab ipsa, eam relinquendo in puris naturalibus, sicut à Deo creata est.

Itaque per potentiam absolutam Patris ꝛ per  
Sapientiam



Sapientiam increatam Filii † & per virtutem Altissimam Spiritûs Sancti † omnia sortilegia, veneficia, incantationes, partes, & artes, in quibus vos spiritus maledicti, sive vestri omnes ministri, qui vobiscum pacta tenent, evello, & extirpo: Nec amplius audete, infestare, vexare, nec perturbare omninò eam; ita sit, & sequatur effectus in instanti, me per Apostolicam potestatem Imperante, ei credenti, & vobis quibuscunque obedientibus, in nomine Sanctissimo Jesu. Amen.

**P**ER misericordiam piissimam Jesu Christi Domini nostri, & per suam ineffabilem pietatem, ac clementiam, & per gloriosissimam intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctissimi Patris Benedicti, & merita omnium Sanctorum, & Sanctarum: Quæso dignetur Dominus me liberare ab omni Febre, dolore, & malo, infestationeque universa diabolica, & donare Salutem animæ, & corporis mei. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, descendat super me, & maneat semper. Amen.

*Alia Benedictio maleficiati efficacissima.*

Adjutorium, &c. Dominus, &c.

**B**enedicat † tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat vultum suum ad te, & det tibi pacem. Dominus bene † dicat tibi N. & liberet te ab omni malo, & ab omnibus insidiis inimicorum. Dominus Jesus † Christus apud te sit,


ut

ut te defendat: intra te sit, ut te conservet; ante te sit, ut te deducat; post te sit, ut te custodiat, supra te sit, ut te benedicat † liberet te ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligationibus, signaturis, & facturis. Dominus Jesus † Christus te absolvat ab omni vinculo facturæ, & maleficii (per virtutes, & potentias spirituum malignorum tibi facto) ut nocere tibi non possit, sive sit in ære, aut in plumbo, aut argento, aut in auro, aut in aliquo filato bombacino, vel serico, vel lineo, vel in ossibus omnium mortuorum, vel viventium, vel animalium terrestrium, vel volatilium, aqueorum, & si est in libro, vel in carta, etiam virginea, vel in aliquo ligno, vel aliquibus verbis, vel in herbis, vel in capillis, vel in lapidibus, vel in plumis, vel in lana, vel in paleis, vel in quibusvis creaturis, ubicunque reperiatur per virtutem, & potentiam Sanctissimæ Trinitatis Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti, & per merita Sanctissimæ Vitæ, Passionis, & mortis Domini nostri Jesu Christi destruat, dissipetur, & annihiletur. Amen.

L A U S D E O.




\* \* † \* \*  
\* \* I H S \* \*  
\* \* \* \* \*  
\* \* \* \* \*



Lei 7,75





AS

F